

17964.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA:  
DE  
ACETI CRUDI USU MEDICO,

QUAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO  
MEDICORUM ORDINE  
IN  
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA  
DORPATENSI,

PRO  
GRADU DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME TUENDO

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR,

ERNESTUS HENRICUS EICHLER,  
CURONUS.

---

DORPATI,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCLXXVII.



## *Praefatio.*

*Examinis, quod ad Doctoris medicinae honores rite capessendos Anno cIo Io cccxlii subeundum mihi erat, discrimine fauste superato, dissertatione thesibusque publico Academiae Caesariae loco defensis, quos ambiebam, honores quum ab Illustri Medicorum Academiae Caesariae Dorpatensis ordine in me essent collati, egestate depressus impar eram sumtibus, quibus ad imprimendam dissertationem meam „de systemate nervorum trunci“ opus fuerat, erogandis; praeterea bello tum flagrante. patriae necessitati pro virium mearum modulo cum sociis succursuro confestim transeundum mihi erat ad Augustissimi Imperatoris castra. Ex bello redux, minusque indigentia impeditus, habui, quod dissertationem istam,*

**Imprimatur,**

ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, antequam distribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui censura librorum mandata est, mittantur.

**D. MARTINUS ERNESTUS STYX,**  
Censor.

D. XX. April. MDCCCXVII.

maxime cum *Cel. Reilii* commentatione de systemate gangliorum a) collatam, susque deque haberem. Petii igitur ab Illustris Medicorum Dorpatensium ordine ea, qua par est, observantia, ut de re alia ex meis ipsius observatis magis familiari penitusque percognita disserere, memoriaeque prodita dissertationis inauguralis loco typis exscribenda curare mihi liceret. Humaniter indulgit meis precibus. Propterea dissertationem de aceti crudi usu medico exarare, exaratam typis excudendam curare apud animum constitui. Equidem non ignoro, haud utique nova esse, quae cum lectoribus communicatum eo, observata. At spero tamen, fore, ut aceti usus medicus a me expositus non omnino displiceat aequo cuicunque iudici.

---

a) *Reil: Archiv für die Physiologie. Tom. VII.*

---

§. 1.

Acetum fluidum esse acidum, clarum, pellucidum, grati odoris, jucundi et adstringentis saporis, tum e vino aliisque fluidis potari solitis, tum ex pomis fructibusque variis, fermentationis secundo gradu obtineri, constat inter omnes.

Pro materiae, unde elicitur, diversitate, magis minusve differt ipsum, varia constituens genera. At ex officinis pharmaceuticis non nisi e vino obtentum, crudum illud, seu vulgare et acetum vini quod dicunt, praescribere solent medici. De qua aceti specie solâ disserendum nobis esse liquet.

§. 2.

Hujus aceti partes constitutivae earumque proportio, pro qualitate specierum vini, unde paratur, sunt diversae. Doerffurto \*)

---

\*) Neues deutsches Apothekerbuch. Tom. I. Lips. 1801. p. 3. — Conf. Chemie der Pflanzen- und Thierkörper, von Giese. 2. Abtheil. Leipz. 1811. S. 864.

auctore acetum crudum ex acido acético, acido tartari, sale tartari, saccharo mucoso, terra calcaria, spiritu vini et aqua constat. Sunt, qui praeter acidum aceticum purum et aquam, acidum tartari, mucilaginem tartari, collam, nonnunquam et acidum phosphoricum in aceto deprehenderint. <sup>2)</sup> O. L. Vossius, <sup>3)</sup> ut accuratius edoceret, quinquaginta uncias aceti vini Hispanici analysi chemicae subjectis, praeter acidum aceticum purum, tartari ℥ijj et gr. xvii, selenitae tartarei gr. xij, salis acetosellae gr. xvjj, principii mucilaginoso-gummosi ℥vβ, saponacei ℥β et gr. x, resinosi iij et gr. jj; eodemque examine chemico in totidem (L.) unciis aceti vini Gallici repetito, tartari ℥ij et gr. v, selenitae tartarei gr. x, principii mucilaginoso-gummosi ℥β et gr. x, saponacei gr. xxii, resinosi gr. viii deprehendit, utroque aceti genere paullulum ammonii tartarici ex intervallo evaporantis exhibente.

---

<sup>2)</sup> System der Pharmacologie, kritisch bearbeitet von F. A. C. Gren. Tom. II. vol. 2. edit. 2. Ha-lae 1800. p. 18.

<sup>3)</sup> De aceti requisitis chemicis. Traj. ad Viadr. 1800. p. 12. §. V.

**Acetum optimum, juxta acidum aceticum semper continet aliquantillum spirituosum.** <sup>4)</sup> Partes constitutivae remotiores sunt: Oxygenium, Carbonicum et Hydrogenium; et Oxigenii quidem 144, Carbonici 50, et Hydrogenii quinque partes.

### §. 3.

**Differt et in aceti partis constitutivae palmariae, h. e. acidi acetici proportio.** Aceta vini Gallici, Geoffroyo teste, trigesimam quintam, nonnulla adeo duodecimam sui ponderis partem Kali carbonici saturare perhibentur; optimum e contrario acetum vini Germanici non nisi quadragesimam. <sup>5)</sup>

Acetum, usui medico idoneum quod dixeris, ita acere oportet, ut binae unciae ad Kali subcarbonici drachmam unam omnimode saturandam sufficiant. Quae quidem proportio tanquam lex viget inter artis peritos; sunt tamen medici, qui acetum satis acere autument,

---

<sup>4)</sup> Heckers praktische Arzeneymittellehre, Tom. II. Erfordiae 1815. p. 343.

<sup>5)</sup> Neues Edinburger Dispensatorium; aus dem Engl. von Hahnemann. Lipsiae 1797. p. 9.

cujus unciæ quatuor ad saturandam  $\text{Si}$  Kali carbonici sint idoneæ. 6)

§. 4.

Constat inter medicos omnis aevi et temporis multifaria edoctos experientia, in leniter excitantibus, adstringentibus, diaphoreticis, seu diaphnoicis et diureticis, praecipuis autem in insignioribus antisepticis, temperantibus et resolventibus numerandum esse acetum. Quae vires salutes et virtutes medicae etiam ex modo ipsius in organismum morbosum operandi dynamico et chemico eminent. Ipse usus ejus diaeteticus virium illius aliquam fidem facit; cum cibos, potissimum ex piscium omninoque animalium genere, chemica methodo dissolvendos adjuvet.

Aceti, tanquam medicamentum interne adhibiti vis, et dynamico quidem respectu proxime se exserit, per partes constitutivas illas tenuissimas maximeque volatiles, in nervos abdominales et systema gangliorum, indeque in systema nervorum universum, maxime vero in nervos vasorum, ergo et in systema arte-

6) Handbuch der praktischen Arzneimittellehre, von Segnitz, Tom. I. vol. 1. Lips. 1801.

riarum, et in vasa cutis exhalantia, pulmonum et organorum uropoëticorum. Auget igitur tum perspirationem, tum excretionem horum organorum, sed deminuit nutritionem et processum organismi vegetativum. Deinde operatur in serosos vasorum fines, resorptionem adjuvans, adeoque incitans systema lymphaticum. Tertia denique ipsius vis est leniter adstringens, quum partes, quas tangit, irritabiles et contractiles incitet. Quarum trium virium dynamicarum beneficio efficitur, ut stagnationibus solvendis et, Hellero iudice, vel virtute antispasmodica praeditum, par sit spasmi cutis tollendis. 7)

§. 5.

At adstringens aceti vis, haud perinde permanet ac remediorum principii coriarii partiumque extractivarum amararum. Adstringens ipsius irritatio operatione sua chemica posthac iterum tollitur aceto fibras animales emolliente earumque cohaesionem imminuente, prouti jam compertum est veteribus medicis. Fidem adeo facit externus usus. Partes

7) Helleri Diss. de Naphtha aceti. Jenae 1800.

enim aceto lautae frictaeque deinde magis mollescunt. At interne adhibitum, adstringente sua vi, Hippocrate compluribusque medicis testibus, leniter comprimit alvum, licet usus ejus in clysteribus vehementius eam cicat.

### §. 6.

Chemico quodam processu acetum alkalinas, biliosas, ad putredinem vergentes, seu ammoniales corrigit materias, non ventriculi et tractus intestinorum solum, verum remotiorum etiam organorum, in quae efficaciter irritando operatur, harum materialium egestione adjuta. <sup>8)</sup>

Secundum observata Celeberrimi Berzelii alkalicae indolis sunt organismi materiae omnes non immediate inservientes excretioni. Hinc chemica sua attractione adsociatur hisce materiis acetum in morbis, in quibus hae praevalent, quae ipsae tum mutantur. Acidum acetum, Berzelio auctore, consociatur etiam

---

<sup>8)</sup> Westendorff de optima acetum concentratum ejusdemque Naphtham conficiendi ratione. Goettingae. 1772. §. LXIII. p. 61. 62. Salzburger medic. Zeitung. Nr. 70. 1815. p. 275. ex Repository Lond. ubi attractionis gradus acidi acetici referuntur.

cum materia biliosa, seu picromelle Thenardi, quod non praecipitatur hocce acido. <sup>9)</sup> Flava bilis materia ab aceto praecipitatur floccorum forma, exhibentium pinguedinis indolem, <sup>10)</sup> quorum excretio tunc eo magis est expedita. --

Antiseptica denique ea ipsius vis est, ut chemica sua attractione materialium organicarum ammoniali humorum dissolutioni resistat. Sunt quidem medici, qui statuunt, in organismo vivo, neque in sanguine, neque in humoribus ullas cogitari posse putridas materias. Cui persuasioni omnino obluatur foetor oris et potissimum transpiratio et sudor febribus putridis laborantium, ex Parmentierii et Deyeuxii observatis, putredinis indolem h. e. ammonium continentem. <sup>11)</sup> Hinc ejusmodi materias putridas et arte generare licet, oleo animali cum liquore ammonii misto calorique exposito. <sup>12)</sup> Pericula a Seyberto facta re ve-

---

<sup>9)</sup> John chemische Tabellen des Thierreichs. Berlini 1814. p. VII. Nr. 7.

<sup>10)</sup> John l. c. pag. VII. Nr. 10.

<sup>11)</sup> John. l. c. p. 44. infr.

<sup>12)</sup> Versuch einer philosophischen Pharmakologie. Brunsvici. 1786. p. 390.

ra non probant, nullas omnino in sanguine humoribusve adesse posse particulas; ut qui sua pericula faceret in animalibus vegetabili cibo vescentibus. Perinde expeditae refutationis est Wilmanni opinio, non nisi fibras musculares, neutiquam humores, morborum putridorum esse sedem. <sup>13)</sup>

§. 7.

Praeterea et temperans, seu, ex veterum medicorum arbitrio, refrigerans dixeris acetum, nimis subitaneam caloris in organismo evolutionem arcens, tum, modo suo in nervos vasorum efficacissime operandi jam commemorato, systematis arteriarum adauctam irritabilitatem, ex debilitate profectam, habetando; tum tensas cordis partiumque muscularum fibras emolliendo, eaque retentionem, turgorem et activitatem asthenicam minuendo; tum denique caloris evolutionem, attractione sua chemica, suoque connubio cum oxigenio et hydrogenio, reprimendo.

<sup>13)</sup> Untersuchungen über den Ursprung der Symptome des Scorbutus und der Faulfieber. A. d. Engl. von D. Lindemann. Berolini, 1795. p. 119. — Ueber die Faulniss des Bluts in lebenden thierischen Körpern. A. d. Engl. von Davidson. Berolini 1798.

— Quae vis temperans non coenestesi solum, <sup>14)</sup> sed pulsu etiam confirmatur. Marcus Herz adserit, experientia edoctus, quoties aceticos clysteres adhibuerit, toties illico retardatum fuisse pulsum. <sup>15)</sup>

§. 8.

Deinde acetum et vi gaudet solvendi tum mucii in compluribus organis, ventriculo et tractu intestinorum, tum materiae fibrarum organismi. Vis ejus in fibras musculares exserta non est quidem, nisi emolliens et cohaesivonem in organismo vivo deminuens, cum tanquam vis chemica harum partium agiliori vitalitate impediatur, sed in materiam fibrosam sanguinis exserta, solvens, uti observata Boerhavi, <sup>16)</sup> Westendorffii <sup>17)</sup> plurimumque medicorum et pericula ab ipsis omninoque recentissimis chemicis facta docent. Con-

<sup>14)</sup> Assalini: Versuch über die Krankheiten des lymphatischen Systems. A. d. Franz. Dresdae 1792. p. 112.

<sup>15)</sup> Marcus Herz, Briefe an Aerzte. Erste Samml. Berolini 1784. p. 42.

<sup>16)</sup> Elem. chem. Tom. II. p. 213.

<sup>17)</sup> l. l. pag. 60. 3. pag. 61. 4.

cinunt recentiorum Chemicorum experimenta. Mucum variorum organorum aceto solvi, praeter experientiam medicorum singularum aetatum, docent experimenta Berzelii recentiorumque Chemicorum. <sup>18)</sup>

§. 9.

Quoad singulas hasce operationes commemoratas acetum est medicamentum efficacissimum, ad tenuissima vasa capillaria usque penetrans. Vossius supra laudatus <sup>19)</sup> dubitat quidem de aceti transitu in sanguinem: sed Westendorffius, <sup>20)</sup> in iis, qui aceto concentrato aliquot dies fuerint usi, odorem aceti sensibilem perspirando diffusum saepius se animadvertisse docet. Unde haud temere colligas, id quod jam dudum est observatum, <sup>21)</sup>

<sup>18)</sup> John, l. l. pag. VI. 4. Bertzelio autem teste pituitam vesicae urinae solvere nequit.

<sup>19)</sup> l. c. §. XIII. pag. 23.

<sup>20)</sup> l. c. §. LXXI.

<sup>21)</sup> Albrecht: commentatio, in qua proponitur recensensus eorum alimentorum et medicamentorum, quibus ingressus in systema vasorum sanguiferorum aut concessus a natura, aut negatus est. Goettingae 1806. §. 17. p. 29. 30.

vel crudum acetum, sicut omnia acida vegetabilia, a vasis lymphaticis receptum transire in sanguinem. Quem aceti transitum omnino suspicari licet, cum multas contineat partes aquosas, adeoque ipsius cum humoribus animalibus facilius conjunctio.

Externe in organismum adhibitum eandem exserit virtutem acetum, quam usus internus, pro ratione structurae organorum, quae tangit. Externus enim usus et regenerationem impedit et vegetationis processum. In clysteribus aequali aquae parte misti vis est vehementer excitans circa systema gangliorum, eaque re atrabiles tollit stagnationes pertinetesque alvi obstructions. Quanta tum sit ejus vis excitandi, colligere licet ex larga dosi vel quantitate, qua adhiberi solet in clysteribus.

§. 10.

Omnes autem, quas hucusque commemoravimus, aceti vires non obtinent, nisi justa forma dosique adhibeatur, neque nimis diuturnus sit ejus usus. — Copiosa aqua eaque frigidiuscula, vel frigida diluti multoque meli leniti usu nonnunquam alvus solvitur, transpiratione et pulmonum excretionem ex antago-

nismo suppressa. Tunc enim in tractum intestinorum fere solum agit. Forma illa dosisque commemorata non conducit, nisi in singularibus quibusdam morborum momentis. Quanto minus dilutum fuerit acetum, quo utaris, tanto vis ejus est efficacior in nervos abdominales, cor et fibras musculares exserta et tum demum laudata virtute pollet. Noxius semper est aceti usus in dosi, pro aegrotorum constitutione, nimis larga, justoque diutius adhibiti; cujus abusus haec esse solent symptomata:

- 1) Concoctio impedita, nausea, vomitus, cardialgia, stomachi tanta infirmitas, ut nihil omnino retineat et quaecunque ingesta fuerint, evomet. Fastidit acetum, ante sibi jucundum, aegrotus, incommoda inde enata persentiscens. Jam a Gossio, sua sponte vomendi facultate insigni, est traditum, acida omnia morari concoctionem. <sup>22)</sup> Hinc et observare licet, acidum, in dyspepsia, ventriculo insidens, esse aceticum. <sup>23)</sup>

<sup>22)</sup> Deutsche Gesundheitszeitung. Tom. I. p. 58.

<sup>23)</sup> Ann. de Chem. T. LIX. Sept. 1806. p. 252.

- 2) Tussis cietur, aceto mucum naturalem oris, faucum glottidisque solvente, pulmones debilitante. Nam Reiseisen nuperrime detexit, singulas pulmonum cellulas circumdatas esse fibris muscularibus. — Et dentes obtunduntur dolentque, eorum materia vitrea, calce phosphorea acida et Kali acido carbonico quae constat, soluta. Id quod, cum gargarismatis forma diutius adhibetur, evenire plerumque solet.

- 3) Tantopere denique debilitantur singula organa ac systemata, in quae acetum, vel justa quantitate adhibitum, vim suam exserebat incitantem, ut horum organorum subsequantur adfectiones morbosae, ingravescentes etiam ex illius abusu.

In universum magis convenit acetum corpulentiori et mucosae, quam siccae et macilentae catastasi. Iis potissimum nocet macilentis, qui pulmonum infirmitate laborant, naturali muco in respirationis organis egentes. In acore ventriculi, ructibus ex acore &c., sicut in omnibus suppurationibus tum internis, tum externis, resorptionem et febrem cum deterio-

rem reddat, usus ejus est rejiciendus. Officit et lactantibus feminis. Sunt, qui ex peculiari corporis temperie, idiosyncrasiam quam dicunt, aceti usus interni omnino sint impatientes. Nec, exanthemata critica, sudoresque critici dum imminet, suadendus est externus usus; at internus tamen tum non est ineptus. Plenckio auctore, in ossium fracturis ad inflammationem imminuendam diutius saltem dissuadendus est aceti usus, eo, quod calli generationem impediat, id quod iam inde cognoscere licet, quod cartilaginem, quin ipsa etiam ossa emollit.

### §. II.

Ad aceti usum medicum et chirurgicum jam nobis est transeundum, viribus ejusdem salutaribus modoque operandi universim illustratis. Adhiberi solet in hisce morbis:

I. in febris typhoideis, ut in biliosis, erysipelaceis, putridis et in ipsa peste. Quibus in febribus, ex antiquissimis temporibus, secundum optimorum medicorum observata, semper efficacissimum se praestitit acetum. <sup>24)</sup> In febribus, ad secre-

<sup>24)</sup> Hippocrat. edit. Foes. Sect. V. p. 325 — 483 — 519. Sect. IV. p. 418. Sect. IV. p. 394 — 399. Ga-

tiones et excretiones adjuvandas, cum potus frigidi tussim facile cieant, tepidum plerumque praebetur, coenestheseos tamen ratione habita. In febribus putridis autem et in peste, frigidi potus subinde commendabiliores, ut qui humorum dissolutionem arceant.

In febribus biliosis potui inservit quotidiano, semiuncia, vel  $\frac{3}{4}$  per diem, octo duodecimve aquae partibus diluta, saccharoque, seu melle, permista; evacuatione ante facta, vel, vomitorio adhibito, et in morbo quidem sursum turgescente, vel cathartico, deorsum si turgescat. Acetum inter primos morbi prodromos adhibitum, solum saepissime sustulit morbum. <sup>25)</sup> Inde elucet aceti in febribus biliosis adhibiti summa efficacia, dummodo non perversa fuerit victus ratio. — Solum

---

Ieni Opp. Basileae. Tom. V. 26. e. d. Tom. VI. 495. c. — Sarcone Geschichte der Krankheiten in Neapel. Tom. III. 1772. p. 213. Hecker: Kunst, die Krankheiten der Menschen zu heilen. Tom. I. 1804. p. 137. — Kurze Anleitung den gegenwärtig herrschenden ansteckenden Typhus zu heilen, von Wegeler. Confluent. 1814. pag. 22 — 37.

<sup>25)</sup> Jahnii Practische Materia medica. Tom. I. 1807. p. 33. — Vofs l. c. p. 25. — Benvenuti in Nov. Act. Nat. cur. Tom. II. p. 138.

saepiuscule tum omnia praestat, haud temere, dumne sit ejus impatiens aegrotus, fere ad ipsum morbi decursum, adhibendum, a me ipso, et successu quidem prosperrimo saepissime adhibitum.

Attamen non nimio aestimanda est aceti virtus in febribus typhoideis, quum interni ejus usus vis in nervos vasorum sese exserens non sit, nisi leniter excitans, licet vis ejus, ratione chemica agentis hoc in morbo sit efficacissima. In magna nervorum maxime sensorii communis debilitate, febribus complicitis, et in senioribus morbi stadiis, ab aceto solo non repetenda est sanatio, non nisi medicina adjuvante, eaque efficaci, juxta reliquorum medicamentorum usum, aestimando.

In febribus erysipelaceis, praevia evacuatione, haud minus obtinet aceti usus, plerumque cum infuso florum sambuci tepido misti.

In febribus putridis et in peste conducit acetum maxime cum mucilaginoso, roborantibus atque excitantibus conjunctum, peculiari morbi aegrotique indoli convenientibus. Eximiae virtutis est his in febribus acetum aqua dilutum, quo lavatur, lotus leniter detergitur

aegrotus. Quà ratione adhibitum ad petechias et loca ad gangrenam quae vergunt sananda et omnino in vasa resorbentia et fines systematis nervorum periphericos agens mirae vis est. <sup>26)</sup>

Adeo in summo febris biliosae putridae gradu, epidermide a toto corpore adeo soluta, subvirescentibus hypochondriis, excrementis atris, laciniis carnosis intermistis, epithemata aceti aqua diluti frigida universo corpori superimposita conducebant quam maxime. <sup>27)</sup> Typho contagioso grassante in novissimo bello, in primo morbi stadio mane vespereque pedes, crura, manus, brachia vino, deinde tribus unciis Sinapi, sesquilibra aquae fervidae et semilibra aceti lota calideque illico deterasa haud levem exhibebant effectum.

Mindererus pesti levioris quidem indolis medicatus est, vomitoriis ante adhibitis, alvoque soluta, sola potu mucilaginoso non nisi hordeo excorticato, radice graminis, absinthio, trifolio fibrino, millefolio, vel herba

<sup>26)</sup> Nuperrime Karpe, M. D. eodem successu acidum sulphuricum dilutum adhibuit.

<sup>27)</sup> Baldingeri Magazin. Tom. V. Segm. 6, pag. 505. Wegeler l. c. p. 22 — 37.

ejusmodi alia aut radice amara confectâ; melle, vel aceto, saporis mitigandi ergo, subaddito. 28) Nonnunquam et aromaticis aliisque excitantibus, vel radici Arnicae nuptum commode praescribatur acetum. Mindererus in peste, adeo viribus aegroti omnino prostratis, eoque mentis haud amplius compote. praeter complura alia medicamenta, acetum infricatum clysteresque aceticos commendat, docens, post clysterum usum, si soluta fuerit alvus, spem fore, ut convalescat aegrotus. 29)

Veteribus medicis testibus, praecavendo tutissime tuetur contra contagiosas febres ipsamque pestem. Sylvius per octo menses peste laborantium quotidiana continuaque cura occupatus, quovis mane, ante quam visitatum iret aegrotos, cochlear majus aceti vini unum cum offula panis adsumens nunquam obnoxius erat contagioni. Morbo fauste debellato abstinebat ab aceti usu. Quoties aedes lue ista nuperrime infectas erat ingressus, toties levem capitis dolorem persentiscebatur.

28) Minderer: Beitrag zur Kenntniss und Heilung der Pest. Rigae. 1790. p. 89.

29) l. c. pag. 103.

Diemerbroekius etiam vim illam aceti praeservativam confirmavit. At Sylvius ingenue profitetur, non nisi paucos aceti, tanquam remedii pesti praecavendae idonei usus tam diuturni esse patientes; multisque magis profuisse melioris notae vinum. 30)

Aceti, tanquam remedii praecavendae contagioni usus ad manuum vultusque lotionem, ad odorandum et os eluendum vel eo implendum, est commendabilis. Qua ratione adhibitum eo suam exserit vim acetum, quod ejusmodi contagia vel miasmata contagiosa, praeter tactum, maxime per os et olfactus organa, cum aliis communicantur, id quod prima istius morbi symptomata comprobant, ut quae semper paris quinti nervorum sint affectiones, quum illius nervi in respirando hic maxime sint denudati. 31)

Aceti et interne et externe tanquam remedium contagioni praecavendae adhibiti mirasane, non chemica solum, sed dinamica etiam, vis est, cum interno usu vasorum exhalan-

30) Sylvij prax. med. libr. quat. ed. Schraderi, Amstelod. MDCLXXIV. p. 275.

31) Hartmanni Theorie des ansteckenden Thyphus, in: Medicin. Annal. Febr. 1812. pag. 141.

tium activitatem augeat, qua quidem re vasorum resorbentium activitas per antagonismum arceatur necesse est.

Adhibetur etiam acetum in febribus typhoïdeis, sociatis cum exanthematibus, ut in variolis, morbillis, scarlatina, nec non in typho catarrhali. juncta affectione pectoris, tanquam medicamentum in perspirationem et cutis et pulmonum agens, simulque pituitae solvendae idoneum et antisepticum.

At his in febribus acetum adhibituro prospiciendum, ne alvum solvat maxime cum nimis dilutum fuerit, ejusque usus justo frequentius repetitus — ), ut qua re harum febrium crises per cutem et pulmones supprimantur, ipsique morbi, crisi jam imminente, ingravescant. Tunc aceti cum potu mucilaginoso ex crustis panis triticei et cremore hordeaco alvum firmante connubium suadendum, cujus in extremo morbi stadio, variolis exarescentibus, largior usus esto.

Maxime idoneus est aceti usus in eruptionis stadio, in constitutione ad putredinem proclivi, ac biliosa, eruptione sensim protracta.

Erant, qui et in exanthematibus suppressis suaderent aceti usum. Quum autem interne

adhibitum, non nisi leniter excitans, in cutem agat, seu, ut veteres dicebant, sit diapnoicum: in exanthematibus suppressis non quidem basin, sed adjuvans tantummodo dixeris medicamentum, palmariis adsociandum.

Et in synocha commendabatur acetus, sed quum in nervos vasorum excitantis vis sit, tum demum hoc in febre commendabilem dixerim, quando, venaesectione facta, nitro adhibito, irritamentisque aliis sublatis, typhi indolem induerit. Tunc utique conducere potuerit, adeo ceu medicamentum vi chemica insigne, quum ex Parmentierii et Deyeuxii observatis, in febribus inflammatoriis, sanguis serumque qualitate non differant. 32) Synocha autem nondum in typhum versa, meo quidem arbitrato, aceti quantumvis vegetatiōnis processum impediētes usus vix foret suadendus. Hinc in inflammationibus localibus activis noxium dixeris acetum, cum Vossio laudato teste, adeo post modicum ejus in angina hypersthenica et peripneumonia usum, magis re vera urgeret morbus. \*) Quam ob causam permulti medici in synochae primo

32) Schreger l. c. p. 6.

\*) l. c. p. 27.

stadio recte dissuadent aceti usum, 33) eo quod angor, calor adauctus, inquietudo, pulsus concitatus et sudores inutiles inde nasci solerent. Jahnus, M. D. nuperrime defunctus, adserit, in inflammationibus pectoris angorem et tussim, saepius haud sine discrimine et periculo aceti isto abusu augeri et in inflammationibus ventriculi et intestinorum vomitum saepe cieri, dolores augeri, alvumque justo magis constringi. Itaque si quando in synocha conduxerit, id eo solummodo evenisse poterat, quod permulta aqua dilutum adhiberetur, ita, ut, aqua magis prodesset, et peculiari constitutione et aquae beneficio alvus solveretur, ergo vi in tractum intestinorum solum agente et sanguinis missione, debilitantibusque aliis unâ adhibitis.

Quantumvis salutare et jucundum sit febribus commemoratis laborantibus acetum, neutiquam tamen in universo morbi decursu adhibendum, eo quod usus ejus diutinus et continuus noxam infert ventriculo, hinc et nauseam denique adfert aegroti. Ergo alia tum substituenda sunt medicamenta, mucila-

ginosi potus commendandi, et acetum non nisi lotioni, fomentis, vel ubi morbi indoles suaserit, clysteribus adhibendum.

Difficillime sustineri solet aceti, potui mucilaginoso misti, usus. Sed, Hippocrate monente, haud plus jungendum, quam, ut aceti saporem aliquantulum persentiscas, fuerit opus.

II. In cholera, morbo nigro Hippocratis, tenesmo, cardialgia et singultu etiam acetum commendatum. Vis ejus his in morbis eadem est, quae in febribus biliosis. Hinc et tum demum conducit in singultu, cum ex biliosis, alkalinis, ammonialibus malae notae materiis, non autem ex acido ventriculi, enatus est. Hinc a Westendorf. sic solummodo in singultu acutorum celebratur usus ejus. 34) In cholera, morbo atro et tenesmo, magis diluti tepidique, in cardialgia subfrigidi saccharoque conditi ac minus diluti usus praescribitur. Commode tum inservit etiam his morbis laborantibus in clysteribus adplicandis. 35)

33) Jahnii Practische Mat. medic. Tom. I. edit. nov. Erfordiae. 1807. pag. 31. 32.

34) l. c. pag. 74. §. LXXVIII.

35) Riverii prax. medic. Lib. IX. cap. 9.

III. In scorbuto. Lind, Lyster, compluresque medici hoc in morbo usi eo sunt haud sine successu. At quum in scorbuto semper torporem eximium circa adfecta systemata atque organa maximeque processum productivum debilitatum animadvertere liceat, acetum autem reproductionem arceat, non nisi leniter excitet, nec vis ejus roborans perduret: tantummodo aliis medicamentis roborantibus ac mucilaginosi, nuptum, juxta victum bene nutrientem, hoc morbo laborantibus conducere poterit acetum.

Ita, imprimis acido carbonico et nutrientibus mucilaginosi nuptum vi quadam efficaci pollere omnino potest. Hinc et Ludovicus Franckius, in summo scorbuti gradu, sacharo aceti Alexandriae usus est prosperrimo successu. <sup>36)</sup>

IV. In mania et Melancholia. Hisce in morbis maxime constitutioni atrabiliaria vi sua in systema gangliorum, lienem et systema

---

<sup>36)</sup> Hallische allgem. Literaturzeitung. 1816. no 126.  
— Collection d'opusc. de médec. pratique par le Docteur Louis Franck; à Paris. 1812.

venae portae exseri solitum mire conducit, a compluribus celebrioris famae medicis, praepriis-Viennensibus, et in larga quidem dosi, commendatum. Locherus ante meridiem infusum Hyperici, et post meridiem, quovis horae quadrante cochlear majus adsumendum praescripsit, aceto nonnunquam camphorae nupto, at rarioribus dosibus praebito. Muzelius tres quaterve aceti uncias praescripsit, sed tum conditionis stomachi ratione merito habita. Marcus Herz puero quodam duodecim annorum per novem menses melancholia spasmodica adfecto, binorum clysterum aceticorum, cum aquae aequali parte mirum animadvertit effectum. Mox immensae subsequēbantur purulentae pituitae et foetidorum quasi combustorum excrementorum evacuationes, licet puer, cibi appetentia utique sublata, praeter aliquot potus Theae scutellas quotidie sumtas, per complures menses nullum omnino cepisset cibum. Evacuationes erant quatuor continuorum dierum, quo tempore paroxysmorum spasmodicorum omnino expertus erat puer, quibus alioquin obnoxius fuerat fere singulis horis. Ast ulteriorem horum clysterum aliorumve medicamentorum usum nullo

modo suaderi sibi sivit puer. 37) Ita enim melancholia et mania adfecti plerumque solent. Auenbruggerus fomento usus est acetico fronti imposito, camphora interne, 38) aliisque medicamentis externe, adhibitis.

V. Contra *Ascarides* et *lumbricos* jam a Celso commendatum. Sed longe efficaciora dantur medicamenta. Praeterea desunt circa aceti his in morbis adhibiti indubitata observata. Boerhavius praescribebat aceti cum aloës, croci et myrrhae connubio ad usum internum haud sine fausto successu, qui quidem non tam ab aceti, quam ab aloës virtute videtur repetendus. 39) Saepiuscule et absque ullo medicamento adhibito excedunt vermes. Contra *ascarides* si adhibere velis acetum, clysteres praeprimis commendabiles, cum in crassioribus intestinis, maxime in intestino recto, horum vermium sit sedes.

VI. In vomitu cruento; post vomitum praebere solet dilutae formae, tum ad materias in tractu intestinorum corrigendas, tum

ad adstringenda finium vasorum ora. Et in haemoptosi, sociata cum fervore, conducit. Sed in utroque morbo non conveniens nisi leniori gradu, nec in sicca catastasi, quum puita animali deficiente, in organis respiratoriis tussim facile irritet atque exasperet.

VII. In anasarca, hydrope pectoris atque ascite. In hydropibus aqua aliquantillum dilutum praebetur. Maxime in systematis lymphatici et organorum pulmonalium, cutaneorum et urinariorum infirmitate aceti usus conveniens; cum circa illa systemata atque organa vi excitante polleat. Eo adhibito, Westendorffio teste, urina reddebatur profusior, quam post medicamentorum resolventium ac diureticorum ante adhibitorum usum. 40) At stomachalium, utpote quae hydropi morbisque systematis lymphatici, pulmonum et vasorum cutis exhalantium omnino male conveniant, cum aceto connubium utique dissuadendum. Namque stomachi tractusque intestinorum activitate intensiva deminuta, systematis lymphatici et organorum commemoratorum sollertia ex antagonismo auge-

37) l. c. Samml. I, Edit. 2. p. 22 — 24.

38) Auentbrugger de remedio specifico in mania viro- rum. Viennae 1774. pag. 19.

39) Chem. Tom. II. Procefs. 81. pag. 277.

40) l. c. pag. 74.

tur. In magno angore, anhelitu, spiritu fere intercluso (quae quidem symptomata morbis hisce valde exasperantibus satis sunt familiaria,) praesens medicamentum acetum est, jam a Dioscoride in Orthopnoea commendatum, et ita quidem, ut calens sorbeatur. <sup>41)</sup> Spiritu fere intercluso, odorandum commendat Tissotus, tempora simul aceto lavanda. Adeo in suffocationis discrimine, imminente in pulmonum inflammatione asthenica, quae lethalis esse videbatur, efficax deprehendit Hallerus, id quod ex vi ejus eximia in pulmones exeri solita divinari licet. Tum tepidi et parum diluti usus commendandus.

VIII. Contra venena, sive narcotica, sive alkalina, sive ammonialia cum humano corpore communicata; quae quidem neutra redit acetum attamen vis suae expers circa venena narcotica vel principium acre, vel acidum Borussicum continentia. Hinc inefficax deprehensum ab aliis ad ranunculi acris, ab aliis ad aconiti injurias resarciendas. <sup>42)</sup> Sed praesens contra opii, cicutae, hyos-

<sup>41)</sup> Dioscoridis libr. octo, Graec. et Latin. (Parisus) Libr. V cap. 21 pag. 268.

<sup>42)</sup> Gmelin's Geschichte der Pflanzengifte. Edit. II. 1803. pag. 115.

cyami venena et spasmos faucum ex nimia belladonnae dosi medicamentum. Tum calidum adhibeas ad gargarizandum. Contra reliqua venena supra commemorata insignis ejus est tam internus, quam externus usus, simul clysteribus inserviens. Orfila teste contra venena opio hausta, aceti aliusve acidi usus dissuadendus, nisi vomitus sufficiens praecesserit. Caffeeae potus concentratus optimum perhibetur esse medicamentum. <sup>43)</sup>

IX. Adversus morsus serpentum ac viperarum, ictus vesparum et apum, quin etiam adversus canum rabiosorum morsus a veteribus medicis commendatum, et cerevisiae quidem acetum, sub finem superioris seculi, ab archiatro Moneta celebratum, comprobatum nuperrimis observatis. <sup>44)</sup> Udinae, provinciae Pori Julii capite, pauper quidam morsus a rabioso cane, cui acetum vini ex errore, loco alius potus, aliquoties praebitum fuerat, omnino convaluit. Quod cum comperisset Leonissa, comes, medicus Patavinae, in nosocomio, quo quis hydrophobia

<sup>43)</sup> Salz. Medicin. Zeitung. 1816. Nr. 99. p. 325.

<sup>44)</sup> St. Petersb. Zeitung. 1817. Nr. 5. (16. Jan.) Fol. 42.

adfectus translatus fuerat, idem fecit periculum, una libra aceti vini mane, totidem meridie et vesperi praescripta. Spes non fellit; mox omnino convaluit aegrotus. — Sed Lafontaine monuit, aegrotos a Moneta sanatos non a rabiosis, sed acribus et irritatis canibus, fuisse morsos. Quod quidem, post Monetae obitum demum adseruit Lafontaine, quo mortuo, fide historica omnino carere ipsius scripta, monebant medici Varsovienses. At non vini, sicut medici veteres, sed cerevisiae acetum praescripsit Moneta et fomenti quidem forma, aceti calidi sextario cum butyri semi-libra adhibito, junctoque interno usu sesquiunciae aceti cerevisiae, aliquantulo butyri recentis nupti, ter quaterve per diem. <sup>45)</sup> Puerum a serpente morsum sitique deinde adfectum aceti largo potu hausto convaluisse, Celsus commemorat.

Contra morsus animalium virulentorum et internus et externus aceti usus commendandus. Adversus vesparum apumque ictus sufficit jam externus usus, loco laeso aceto loto

<sup>45)</sup> Moneta: Von der einzig zuverlässigen und durch viele Erfahrung bestätigten Heilkur des Bisses toller Hunde &c. Lipsiae, & Varsoviae 1789.

leniterque fricto. Quodcunque tamen acedum vegetabile vi eadem pollet.

X. In apoplexia sanguinea ex prunarum vapore, et in capitis dolore inde excitato. Praevia Venae sectione, tam internus, quam externus obtinet usus. Ad externum quod attinet, epithemata frigida adplicanda capiti, universo corpore loto frictoque aceto, et iis potissimum locis, quae vasis resorbentibus scatent; clysteribus ex aceto aquae aequali parte diluto simul admotis.

Praeterea et in compluribus morbis aliis commendatus est aceti usus, sed desunt commodorum inde unquam profectorum fidei indubitatae observatae.

Ad externum usum quod attinet, in synanche cum laxitate sociata; pituitate et debilitata reactione ad gargarizandum adhibitur, ut vetustum, ita et efficax est medicamentum; in cynanche caerthali vulgari tanquam palmarium, in ingenti relaxatione autem non nisi adjuvans aestimandum, eo, quod fibrarum musculorum relaxationem haud omnino roborat, sed chemica sua vi facile adeo adaugeat. Hinc dissuadendus est nimis diutinus usus.

Damnum omnino et infert, cynanche in sup-  
purationem abeunte, utpote quam arceat ac-  
tum. In angina membranacea per concla-  
ve dispersos vapores aceti cum infuso flor.  
Sambuci nuperrime commendavit Hedenus,  
et fomenta aceti calida pectori inferioribusque  
extremitatibus femore tenus adplicanda. 46)  
Et clysterum aceticorum his in morbis usus  
saluber nuperis liquet observationibus.

Gingiva scorbutica, dentium dolore, aph-  
tisque laborantibus aceto os eluendum. In hæ-  
morrhagiis, narium stillicidio sanguineo, in  
sanguinando post dentem extractum idem sua-  
dendum; hæmorrhagiæ uteri, lochiis justo  
profusioribus epithemata acetica frigida regioni  
pubis adplicata et injectiones in vaginam fac-  
tæ sunt commendatæ.

Efficacissimum autem tum est acetum,  
cum obsoletum detritumque linteum, mollissi-  
mum, forma conica contortum aceto large hu-  
mectatum, alumine in pulverem redacto con-  
spersum, vaginae, quantum ejus fieri potuerit  
profundissime, in uterum usque, inserat puer-  
pera. Qua ratione bene prospereque evenit,

ut Perill. Styx, fautor ac præceptor ad cine-  
res usque colendus, Chapmanno suadente  
duas puerperas, quæ uno semihorio tantam  
sanguinis jacturam fecerant, ut paene elin-  
gues essent et pallidæ mortis imaginem exhi-  
berent, brevi tempore servaret. Ambæ pu-  
erperæ ante bene valebant, sed ciborum ir-  
ritantium, maxime carnis sale conditæ im-  
modico usu et obstructionem alvi et ancipitem  
istam hæmorrhogiam sibi arcesserant. Quam  
ob causam simul clysterium ex Elect. lenit.  
Phar. Austr. et, subsequente die, medicamen-  
tum evacuan's (Manna, crem. tart. et pulp.  
Tamarind.) adhibitum. Dum hæmorrhagia  
urgeret, elix. acid. Halleri, semiscatella aquæ  
frigida dilutum hauriendum præscripsit.  
Faeces copiosissimæ sunt ejectæ. Recte  
igitur docet Celeberr. Strackius, hæmorrha-  
gias uteri vehementissimas ex impura collu-  
vie in infimo ventre residente enasci. Ean-  
dem aceti vim animadvertit Chapmannus, ad-  
hibiti in lœthiorum fluxu nimio ad mortis ve-  
luti metas. 47) Egregie conducebat etiam,

47) Pharmacop. castr. Ruth. auct. Illustriss. lib. Bar.  
de Wylie. pag. 5.

46) Huflandii & Himlyi Journal. 1814.

me ipso teste, tum in haemorrhoidibus profusis, tum in immani haemorrhagia uteri. — Conducit idem vulneribus vehementer sanguinantibus et laesionibus capitis, dummodo non gravissimis. In omnibus sanguinis profuvis frigidum neque aqua dilutum adhibendum est acetum, vasorum oras tum acutius constringens, et chemica sua vi sanguinem effluxum coagulans, trombum in orificio generans, majorique stipandi vi pollens. Hinc et aceto destillato, fortiori, uti solent in sanguinationibus. Cerebro, ex lapsu, vehementer commoto, non nisi medicamentis refrigerantibus nupti internus et externus usus, conducebat egregie. In herniarum initiis, una cum medicamentis principium coriarum continentibus, ut cortice Peruviano, vel, salicis quercusve, in sacculi vel pulvilli formam coactis pariter commode adhibetur, juxta subligaculi seu bracherii usum. In hernis incarceratis, ad canalium intestinorum motum peristalticum, concitandum, clysteres acetici adhibiti haud sine successu. Herniae inguinali duplici inveteratae eique inveteratae clysterum aceticorum usu medicatus est Weinekus, venae sectione ante fac-

ta. Aceti libram unam semilibra ferventis aquae dilutam clysteri servitutam praescripsit. Post complurium clysterum usum duris copiosisque excrementis exinanitis, cessabat incarceration. <sup>48)</sup> Riverio teste <sup>49)</sup> in hysterico paroxismo clyster aceticus longe saluberrimus est et praesentissimum remedium. Ab eodem et in furore uterino commendatur, praeterea a ceteris medicis et contra sugillationem, stagnationem, contusiones, inflammationes passivas, haemorrhoides coecas, quin etiam gangraenam et ulcera maligna, efficacissimum celebratur medicamentum, epithemate, tanquam fomento, hisce partibus aceto lotis admoto. At suppuratione critica instante, aceti dissuadendus est usus, eo quod impediatur suppurationem. In inflammationibus oculorum chronicis acetum aqua frigida dilutum commendant Buchanus et Beerius; haud minus contra hordeolum dummodo nondum acuminatum fuerit neque obduratum. Kerstensio auctore, aceti duae partes spiritus vini una, to-

<sup>48)</sup> Roemeri chirurgische Arzneimittellehre. Altenburgi. 1789. pag. 394.

<sup>49)</sup> Praxis med. lib. XV. cap. 6.

tidemque salis in mixtura calida se solventis, eximium remedium contra contusiones et contorsiones. In luxationibus, restitutione facta, fomenta ex aceti duabus partibus, aquae vulnerariae una, a Rosensteno adhibetur, aut acetum cum pane triticeo et sale ammon. cataplasmatis forma, quovis bihorio, vel trihoris, imponitur. In contusionibus articulorum acetum praecipue commendat van der Haer. Contra artuum rigorem et hydropem articulorum tueri dicitur idem. In gangraena et sphacelo et ulceribus putridis tum acetum commendabile, cum non est promovenda suppuratio, utpote quae aceti usu impediatur. In tumoribus frigidis et varicibus aceti in fomentis adplicandis usus haud minus est egregius. In bubonibus inveteratis non Syphiliticis acetum cum massa panis depstum, cataplasmatis forma adplicandum commendat D. Attenhoferus. \*) Idem remedium, ut prosperrimo, ita celerrimo successu, a me ipso adhibitum. In aquosis tumoribus acetum aqua dilutum, spongiae illinendum praedica-

\*) Russische Samml. edit. a Kreiton, Rhemann et Burdach.

vit Galenus. Et vapores acetici, instante hyeme adhibiti partibus frigore adfectis admodum conducere perhibentur. In Hydrocoele tunicae vaginalis, aqua ante exempta, acetum aqua dilutum tum seroto ex siphone injectum, tum epithematis forma impositum, vapore pariter adhibito, a Schwindtio, aliis, successu prosperrimo praescriptum. In vaginae prolapsu jam a Dioscoride <sup>50)</sup>, et in prolapsu intestini recti a compluribus medicis, et fomentis quidem adplicandis, acetum commendatum, potissimum in repositione ad inflammationem arcendam. In intestini recti prolapsu praescribi solent et clysteres acetici; tum tamen id agendum, ut vel posthac, vel simul eodemque tempore, adstringentia ad corroborandas musculorum fibras adsocientur, ut perduret effectus.

In vehementibus congestionibus caput in asphyxia patientibus, in obstructione alvi pertinaciori, in ebrietate sitique clysteres acetici aquae aequali parte diluti efficacissimi. Tum et ad faciem lavandam et scrobiculum cordis conspergendum haud ineptum dixeris aceti

<sup>50)</sup> l. c. pag. 267.

usum. In hydrope cerebri acetum sale mixtum et aqua temperatum epithematis frigidi forma commendant Conradi, Starck &c. — In meteorismo cum herbis aromaticis eadem forma adhibitum, in temporariis saltem remediis est acetum. Et in capitis doloribus epithemata acetica conducunt et lotio capitis. Contra vermes narium a Hautesserkio aceti vapores celebrati, contra vermes aurium auribus instillandum suadet Dioscorides; contra aurium sussurum, et auditus gravitatem aceti fervidi vapores quorum, cum flor. et Hb. Hyoscyami conubium in phthisi tracheali salubre praedicat Ioerdens. In pollutionibus epithemata aceto humectata perinaeo imposita laudat Tarbesius. 5<sup>1</sup>) Deinde et adversus mordacem nervorum calorem, febres arthriticas, anasarcam, et venenum ex opio haustum balnea acetica se exhibebant salubria. 5<sup>2</sup>) Ad sinapis mos praeparandos aëremque purificandum remedium tritum esse constat. Lacte in

5<sup>1</sup>) Harles et Ritter: Journal der ausländ. Literatur, Tom. V. Part. 1.

5<sup>2</sup>) Schregeri Balneotechnik. Tom. II. Furth. 1803. X.

mammis coacervato, aceti usum alii suaserunt, alii dissuaserunt. 5<sup>3</sup>) Omnino dissuadendus est illius usus in exanthematibus criticis. Perrill Styx, Venerandus Praeceptor, vidit hominem, qui ex usu aceti ad lavandum ipsi, scabie vulgari laboranti, praescripto, surdus coecusque evaderet. Resorptionem enim adauget; ergo officit. Carbunculis in peste protuberantibus unguentum digestivum aceto dilutum et Myrrhae pulverem imponendum suadet Mindererus. 5<sup>4</sup>) Supra unguentum panniculo illitum epithemata aceto rigata imponuntur universo ambitui adfectae partis; magni cum essent carbunculi, fomentis ex absinthio, floribus chamomill. et cortice quercino cum aceto coctis a Minderero adhibitis.

Contra verrucas, callos, clavos, acetum infricandum, eoque loca adfecta lavanda.

Ad dosin aceti interno usui praebendam quod attinet, debilitatis aegrotorum praedominantis sive directae, sive indirectae, omnino ratio habenda. Hinc in febribus doses ℥j-℥j̄ aceti, octo aquae coctae ac tepefactae partibus

5<sup>3</sup>) Roemer, l. c. Class. II. 1793. pag. 218-225.

5<sup>4</sup>) l. c. pag. 109.

diluti solent praescribi; in debilitate torpida seu indirecta autem  $\frac{3}{\beta}$ , modo diluti, modo meri. Sed ex viribus etiam aceti quandoque pendet dosis quantitas, cum circa vires non semper sibi constet acetum.

Usus externum si spectes, organorum singulorum irritabilitati erit adcommodandus. Acetum oculo sensibili admovendum saltem duabus tribusve aquae partibus ante diluendum. Clysteres aceti sex septemve unciarum aquae aequali parte diluti fortiter solvunt alvum. Clysteribus quatuor unciarum aceti aquae aequali parte diluti adhibitis, unam duasve evacuationes observavit Marc. Herz, persuasus, duas tresve uncias, vel aequali parte, vel  $\frac{3}{VI}$  - VII aquae dilutas omnino non soluturas esse alvum adultorum, nec nisi vim refrigerantem et antisepticam in nervos esse exserturas. <sup>55)</sup> At ipse externus hic usus pro receptivitatibus et constitutionis aegrotorum diversitate differat necesse est.

In obstructionibus alvi pertinacibus quandoque duos, tresve clysteres per diem praescripsit Marcus Herz.

Acetum clysterum forma adplicandum plerumque cocta aqua eademque tepescata temperatur. — Sed in magna debilitate torpida, et frigidiores adhibiti sunt clysteres; nunquam mellis aliquot cochlearibus majoribus subadditis. Ad infantum alvum aperientem, et duos quidem annos natorum, non nisi uno cochleari aceti majori opus est; quinque septemve annos natorum, duobus.

55) l. c. pag. 43.

# T h e s e s.

## I.

Rheumatismum et arthritidem morbis systematis nervorum adnumerare debemus.

## II.

Febris puerperarum peculiarem constituit speciem febrium, neque semper Peritonitidi conjuncta est.

## III.

Diathesis inflammatoria, et inflammatio ipsa potissime tenerae infantum aetati convenire videntur, differunt autem ab inflammationibus adutorum.

## IV.

Genesis caloris animalis maxima ex parte processui galvanico systematis nervorum et musculorum tribuenda est.

## V.

Omnino abstinendum est Opio in morbis putridis.

## VI.

Multa acida oxygenium detrahendo, non effundendo, in organismo agunt.

---